



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VIII. Hæc opinio expenditur. Quas provincias complecteretur regnum Francorum ante delatum Carolo imperium. Novi nominis dignitas Carolo accessit, & auctoritas in Romanos; sed nulla in Francos. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

Eginh. in vita Caroli M.

Imperator Caesar Carolus Rex Francorum.

Eginh. in Annal. ad annum 843. Vide etiam Annales Fuldenfes.

Nithardus l. 1. Ludovicus universum Imperium inter filios ita divisit, ut Pippinus quidem Aquitaniam, Ludovicus autem Bellovaciam, Lotharius vero post divisionem ejus universum Imperium haberet, cui & una factus Imperatoris nomen habere coepit. Eginh. in Annal.

plomatibus egregie probatur quæ annos regni Francorum & Italiæ ab annis Imperij distinguunt. Exstant tabulæ Caroli apud Eginhardum, quibus pecuniam suam distribuit anno Domini **DCCCXI**. anni verò regni in Francia **XLIII**. & in Italia **XXXVI**. Imperij autem **XI**. Atramen ratione habita dignitatis quæ ex nova illa appellatione manat, solo Imperatoris titulo compellabatur à Conciliis Arelatensi, Cabilonensi, Moguntino, Remensi, & Turonensi. Ipse verò Imperatoris & Regis Francorum nomen conjunctim usurpabat.

**VII**. Sed ad quæstionem quam discutendam proposui, accuratè perpendenda sunt Divisionis Imperij à Carolo inter filios decretæ verba: quæ licet effectu caruerit ob ereptum è vivis Carolum & Pippinum, animum ejus satis indicavit. Totum Imperij seu regni corpus (ita enim loquitur) in tres æquas partes divisit anno **DCCCVI**. ex sententia & consensu Procerum ipsiusque Papæ Leonis; attribuitque Ludovico Aquitaniam, cum adjunctis quibusdam provinciis; Italiam, quæ & Longobardia dicitur, & Bajoariam, Pippino; Franciam autem, Burgundiam partem, & Germaniam, Carolo. Hæc tria regna optimo jure ab unoquoque filiorum suorum Regum administrari voluit, post obitum suum. Tutitionem Ecclesiæ Romanæ illis concessit in solidum. De imperatoria verò dignitate nihil omnino testamento suo cavet, quamvis Imperij nomine regnum Francorum cohonestaret. Sed anno **DCCCXIII**. extinctis Carolo & Pippino filiis, habito Aquisgrani generali conventu Ludovicum Aquitanie Regem ad se evocatum, imperatorij nominis confortem fecit; & Bernardo nepoti ex filio Pippino, Italiæ regnum detulit, ea lege, ut Ludovici majestatem coleret. qua læsa postea, oculis orbatus est. Ludovici filij Lotharius, Pippinus, & Ludovicus, & è secundis nuptiis editus Carolus, post attritum funestissimis bellis regnum, divisionem illam regnorum constituerunt quæ ad nostram usque ætatem, licet in varias discerpta dynastias, constanter perduravit; Gallia, Italia, & Germania ab invicem discretis. Ac primò quidem Ludovicus anno **DCCCXVII**. Lotharium majorem natu nominis atque Imperij sui socium sibi constituit; permissa illi interim Italiæ administratione; Pippinum Aquitanie, Ludovicum Bajoariæ præfecit, regio nomine concessio. Sed edito è Judith Carolo prospiciendum fuit: cui concessa Alemannia & Rhetia, deinde verò Aquitania & Francia, infanda bella civilia pepererunt, superstiti Ludovi-

co. quæ post illius obitum recruduerunt, Lothario universum imperium Francorum, quod olim illi delatum fuerat, ad se trahere volente; ut testatur Nithardus. Tandem post multas clades divisio Regni ita instituta est anno **DCCCXLIII**. ut cuique fratrum pars regni obtigerit. Nempe Ludovico Germania omnis Transrhenana, cum paucis aliquot cis Rhenum urbibus & pagis, propter vini copiam. Carolo ad Occidentem, quidquid Galliæ ab Oceano hinc ad Mosam & Scaldim, inde ad Rhodanum & Ararim porrigitur. Lotharius Imperator reliquas Galliæ provincias, quæ inter Mosam & Rhenum, quæque inter Rhodanum, Ararim, & Alpes sitæ sunt, cum Italiæ regno sortitus est. Ita ex uno triplex Francorum regnum factum est. Omnes enim Francorum Reges appellabantur.

**IX**. Hic duo observanda sunt. Vnum est, Lotharium ab eo jure depulsum quod in ceterorum fratrum regnis ex prima divisione sibi quæsitum putabat. Itaque uniusquisque Regum partem suam optimo jure obtinuit, adeo ut in conventu apud Marfanam habito æqualitatem significare voluerint, se *Pares* appellando, totumque corpus trium dynastiarum, unius regni nuncupatione comprehenderint in Adnuntiationibus suis. Huc alludebat Ludovicus II. Imperator, Lotharij filius, in epistola ad Basilium CP. anno **DCCCLXXXI**. Porro de eo quod dicitur nos in tota Francia non imperare; accipe, frater, breve responsum. In tota nempe imperamus Francia: quia nos proculdubio retinemus quod illi retinent cum quibus una caro & sanguis sumus, & unus per Dominum spiritus. Audiebat quidem ille & nuncupabatur Rex Francorum, etsi solius Italici regni & adjectarum provinciarum possessionem retineret. Sed universam Franciam non obtinebat. Vnde nata occasio Basilio abdicandi à Ludovico II. imperatorij nominis, quod in Francorum Reges translatum fuerat. Alterum quod observandum monui, hoc est, in divisione regni Francici, à fratribus instituta, imperatoriam dignitatem Lothario soli celsisse, nulla nominis illius communiione fratribus Regibus facta. Qui titulus propagatus est in Ludovicum II. Lotharij filium, superstitibus patris suis Carolo Calvo Galliarum Rege & Ludovico Rege Germanie, qui hoc sine molestia tulerunt, ut proficetur Ludovicus in epistola superius laudata ad Basilium. Graviter enim & iniquo animo ferebat Basilium Imperatoris Romanorum nomen à Ludovico retentum, atque ab ejus usu per Legatos eum dimovere satagebat. Sed repressus

Nithardus l. 1. Audens Lotharius patrem suum obire, eosque mortuos inter se præfecit per partem Franciam, cui se totum in Imperium quod olim fuerat illi dedit, & firmavit. Hinc Marini ep. 1. cap. 4. edit. M. G. S.

P. Sirey. A. Nov. ad L. Car. Cal. p. 10. Vide Nithard. l. 1. cap. 4. edit. M. G. S.

Conventus Marfanus in Epist. Car. Cal. cap. 2. Et nota in peri. sum. Regnum dicitur. cap. 1. Vnde quæ sit illius Patrem habere adjuvat.

Concilium p. 10.